

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 42902/09 CG

N – NN

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

DECRETUM

Bina sententia negativa de nullitate matrimonii in causa de qua supra lata, novum eiusdem causae examen petitum est, quod Rev.mus Ponens die 5 novembris 2009 «sine haesitatione» in limine reiecit.

Quo decreto intimato, Cl.mus partis actricis Patronus, invocatis can. 1445, §1, 2° necnon art. 33, n. 3 *Legis propriae* H.S.T., die 14 iulii 2009 ad hoc Supremum Tribunal recurrit.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod coram Tribunali Rotae Romanae Rev.mus Ponens novi causae examinis petitionem in limine reicere potest, cum certo pateat ex ipsa propositione petitionem quolibet carere fundamento neque fieri posse ut aliquod ex processu fundamentum appareat (cf. deliberatio Collegii Rotalis diei 16 maii 2008);

Considerato quod absonum apparet admittere ut pars gravata contra eiusdem petitionis in limine reiectionem, ob cuiuslibet fundamenti carentiam, statim, neglecto recursu ad Turnum rotalem (cf. eadem deliberatio), H.S.T. adire possit;

Animadverso quod recursus de quo in art. 122, n. 2 Const. Apost. *Pastor bonus* utique datur adversus decisionem qua Turnus rotalis novum causae examen denegat;

Perspecto etiam quod recursus ad hanc Signaturam Apostolicam in casu sine dubio extra terminum peremptorium, de quo in art. 58 H.S.T. *Legis propriae*, porrectus est;

Cum proinde necessaria desint praesupposita pro recursu die 14 iulii 2009 exhibito;

Perpenso autem quod in casu decretum, quo Rev.mus Ponens novi causae examinis petitionem in limine reiecit, motiva seu rationes decidendi non continet nec ius quo pars gaudet recurrendi ad Turnum rotalem indicat;

Vi artt. 124, n. 2 Const. Apost. *Pastor bonus* atque 35, n. 2 *Legis propriae* H.S.T.;

Re sedulo perpensa in Congressu, die 11 septembris 2009 coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

Recursum ad normam art. 122, n. 2 Const. Apost. *Pastor bonus* non dari in casu;

Partem actricem restituendam esse atque restitui in terminos, adeo ut, si velit, adversus decretum Rev.mi Ponentis diei 5 novembris 2008 recursum ad Turnum rotalem competentem, si et quatenus, proponere possit.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 11 septembris 2009.

+ Raimundus Leo BURKE, *Praefectus*

+ Franciscus DANEELS, o.praem., *Secretarius*